

Disputatio epistolica in M. T. Ciceronis in Catilinam oration

Autor(en): **Bouhier / Breitinger, J.J.**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 15

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394652>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DISPUTATIO EPISTOLICA

in

M. T. CICERONIS

in CATILINAM Oration. I.

A Dijon ce 28. Decembr 1727.

Monsieur le (*) Nonce de Suisse, Monsieur, m'a mandé il y a déjà quelque-tems que vous aviés eu la bonté de lui adresser quelques Remarques critiques sur la *Vie de Perse*, pour me les faire tenir. Mais comme il attend quelque occasion pour me les envoyer, je n'ay point encore eu le plaisir de les voir, & je les attens avec grande impatience.

Pendant un séjour de six mois que j'ai fait à Paris cette année un de mes (**) Amis ayant fait imprimer une traduction Françoises des *Catilinaires de CICERON*, m'a engagé à l'accompagner de mes Remarques. En voici un Exemple, que

(*) Splendido hoc munere tunc temporis per Helvetiam defungebatur Vir Ampliss. DOMINICUS PASSIONEI, Archiepisc. Ephesinus, qui nunc inter Purpuratos R. E. Principes eminent.

(**) Amicus ille erat Celeb. Abbas OLIVETUS, qui Demosthenis Philippicas & Ciceronis Catilinaras in Gallicum elegantissime translatas luci exposuit.

que je Vous prie d'agréer, dans l'esperance, que Vous voudrés bien m'en dire vôtre avis sincérement, afin que je puisse rectifier mes Notes dans une (*) autre Edition, s'il est necessaire.

Je vien de recevoir le nouveau Phédre de Mr. *Burmann*. Vous avés sans doute vû celui de Mr. *Bentley*, avec son Terence. Sa Critique y est encore plus hardie que dans son Horace. Cependant il y a toujours beaucoup à apprendre dans ses Ouvrages, même quand on n'est point de son avis. Je suis toujours très sincérement, Monsieur,

Votre très humble & très obeissant Serviteur

Le P. Bouhier.

(*) Repetita est hæc editio an. MDCCXXXVI. sub hac inscriptione: Philippiques de DEMOSTHENE, & Catilinaires de CICERON, traduites par Monfr. l'Abbé d'OLIVET, de l'Académie Française. Avec des Remarques de M. le Président BOVHIER de la même Académie sur le texte de Cicéron. Seconde édition, revue & augmentée. A Paris. Chez Pierre Gandouin, 1736. 8vo. In qua editione Illustr. Senatus Reg. Divionens. Princeps sequentes castigationes sæpius laudat atque secutus est.

INLUSTRIS SENATUS REGII PRINCIPI

D. JOANNI BUHIERIO,

Salvere & bene rem gerere

JO. JACOBUS BREITINGERUS.

Recte accepi, VIR AMPLISSIME! Quod mihi destinasti munus egregium plane & TE dignum: Agnosco benevolum TUUM in me animum, & haud facile dixerim, quo me affectum honore, quo gaudio credam ex isto TUO Tanti Viri in me affectu tenerrimo & sincerissimo, quem verbis testari non contentus, opere ipso oppignoratum esse voluisti. Avidissime & non sine voluptate perlegi & expendi Criticas illas Animadversiones, quibus Amici Labores illustrare visum est, & magnopere sese mihi probavit singulare illud TUUM in rebus dubiis explicandis acumen, summaque in emendandis locis corruptis *Ευσοχία*; & quod præcipuum est, prudens illa in castigando temperantia. Dabis autem veniam, VIR AMPLISSIME! si quæ mihi circa nonnulla harum Orationum commata etiam post luculentissimas TUas Castigationes vel suspecta, vel dubia adhuc & minus commode explicata videantur, ad TE sagacissimum harum rerum Arbitrum deferam: Et si in nonnullis locis a TE discessisse vel temere, vel cum ratione videri possem, nolim id ita interpreteris, quasi malo contradicendi studio, quod ego magnopere detestor, vitiligandi ansam quæsierim; sic potius

tius de me existimes velim , neminem esse , qui magis noverit suo se pede metiri , & omnem a Viris Eruditis TUlque similibus suppeditatam proficiendi opportunitatem majore studio & captare & in usum suum convertere soleat. Quæcunque autem in medium afferam arbitrio TUO stabunt cadentve.

Cicero. Orat. I. in Catilinam cap. I. **Quamdiu furor iste tuus nos eludet?**] Minus apte , mea quidem sententia , redditur , *Avons-nous encore longtemps à être le joiët de vôtre fureur ?* oppresso & adflicto querulæ hæ voces magis convenirent , ut sævientem victorem ad misericordiam flecteret : quam Consuli Romano , cujus industria & prudentia funestissima Catilinæ contra Remp. consilia sunt patefacta , cui gravissimo S. C. Resp. est permissa , qui hostes patriæ ita tenet firmis præfidiis obsessos , ut se commovere non possint. Secutus , ut videtur , interpretes *Muretum* , qui ita h. l. exponit : *Quasi afflictis prostratisque nobis insultabit.* Eludere enim juxta *Donatum* gladiatorium est , cum vicerunt & ludo finem imposuerunt. Manifestum autem est aliam esse hujus loci sententiam : Id nimirum agit Cicero hoc Orationis exordio , & omnis in hoc est , ut summam Catilinæ audaciam notet , qui non dubitaret , cognitis jam suis in Remp. consiliis , quod ipsum latere non potuit , in Urbe manere , immo etiam in Senatum venire , quasi de constanti & invicta Senatus clementia certus impunitatem sibi tanti sceleris promittere posset , vel audaciam suam nullis suppliciis coerceri posse sibi persuaderet : Hic nimirum iste Catilinæ **FUROR** est , prudentiæ

tiae & rationis impos. Sic infra c. 9. apertius :
*Neque enim is es , Catilina , ut te aut pudor a turpi-
tudine , aut metus a periculo , aut RATIO a FURO-
RE revocarit.* Varia autem est vocis *Eludere* signi-
ficatio & usus : Est omnino vox arenæ & notat
corporis inclinatione ictum evitare ; M. Manilius *Astron.*
Lib. V. 163.

*Ille prius victor stadio , quam missus abibat :
Ille cito motu rigidus ELUDERE coestus :
Nunc exire levis missas , nunc mittere palmas.*

Virgil. Aen. L. XI. v. 691.

*- - Sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter , qua colla sedentis
Lucent , & lævo dependet parma lacerto :
Orsilochum fugiens , magnumque agitata per orbem
ELUDIT gyro interior , sequiturque sequentem.*

Prudentius :

*Nam si nostra fides sæclo jam tuta quieto
Viribus infestis hostilique arte petita est :
Cur mihi fas non sit , lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas jactu pereunte sagittas ?*

Est ergo sententia : Qui Tibi ipsi persuadere au-
des , Catilina , nos scelerum tuorum atrocitate
non commoveri , & patientiam nostram impune
semper exacerbari ac lædi posse : non feremus am-
plius effrœnatam istam tuam audaciam , seu potius
furorem , neque tu ultra justæ animadversionis impe-
tum evitabis. Sic Tacitus *Annal. Lib. XVI. 28.*
*Nimirum mites ad eam diem Patres , qui Thraseam
desciscentem , qui generum ejus Helvidium Priscum IN
IISDEM FURORIBUS - - ELUDERE IMPUNE
sinerent.*

finerent. Cicero Satyric. c. 107. Deinde si gratiam a legato moliebantur, quid ita omnia fecisti, ut quos tuebaris, absconderes? Ex quo apparet, casu incidisse noxios in plagas, & te artem quæsisse, qua nostræ ANIMADVERSIONIS IMPETUM ELUDERES. Quin Cicero hac ipsa Orat. sæpissime huc redit: sic infra c. 6. Quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari non posse viderentur, parva quadam declinatione, & ut ajunt corpore effugi? Sunt autem petitiones juxta Servium, impetus gladiatorum. Affirmat Lipsius Saturn. Serm. Lib. II. c. 20. fuisse in suis libris: corpore excessi. Et suspecta mihi omnino vulgata Lectio: primo enim manifestum est, adhibere Ciceronem ipsos gladiatorum terminos technicos: ut sunt petere, petitiones. &c. id arguit hæc formula, ut ajunt; non autem memini me apud ullum antiquum scriptorem reperire illud: corpore effugere. Constante illi, corpore exire, ut supra Manilius. Et Virgilius decantato illo versu:

Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit.

Vel Corpore excedere. Præterea aptum prorsus non est h. l. effugere corpore, quo Cicero explicare vult illud petitiones declinare: qui enim petitiones effugit, plus facit, quam qui declinat, & fuga sibi salutem quærit: neque etiam verum est Ciceronem Catilinæ petitiones effugisse, neque tanto Consule dignum: ipse infra de se: Quotiescunque me petisti, per me TIBI OBSTITI, non ergo effugit, sed ita elusit ejus petitiones, ut ictus perirent. Quid si legamus corpore elusi, quod proxime accederet ad vulgatæ Scripturæ ductus: eludere enim ipsum hoc est corpore exire. Frustra est Muretus,

&

& tantum non ineptus cum sua illa Emendatione :
Corpore evasi , & declinatione corporis evasi.

Constrictam jam h. o. conscientia teneri conjurationem tuam non vides.]
 Optime tueris adv. Grævium vulgatam lectionem.
 Et vel in pueros notum est *Conscientiæ* vocabulum notare communem cum aliis scientiam. *Tacitus Annal. VI. 21. Quotiens super negotio consultaret , edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur.* Sic passim , id vero quid sibi velit , non satis assequor : *constricta tenetur conjuratio omnium scientia* : nil expedit *Muretus* cum suo illo glossemate : *Quasi de immani quadam & rabiosa fera locutus est.* Apertius Interpres iste tuus : „ Vous ne voyez pas „ que vôtre Conspiration , dès - là quelle est connue „ du Senat , est comme enchaînée ? „ durius tamen. Ita mihi satisfacio ; ut hanc esse hujus loci sententiam putem : Nonne vides , Catilina , nefarios conatus tuos , patefacta & deprehensa jam conjuratione , frustra esse , furorem istum tuum firmissimis præsiidiis comprimi , idque Senatu nec inscio , nec renitente : ita nim. reddenda hæc verba : *horum omnium conscientia.* Supra *effrænatam* Catilinæ *audaciam* appellavit Cicero : ita contra. Seneca : *constringere* ora frænis. Cicero in *Tusc. quæst. Si turpissime se pars illa animi geret , vinciatur & constringatur amicorum propinquorumque custodiis.* Hoc sensu infra c. 2. *Vives ita , UT NUNC vivis , multis meis & firmis præsiidiis obsessus , ne commovere te contra Remp. possis : teneris undique.* Est ergo hic locus ita interpungendus : *Constrictam jam , (horum omnium conscientia ,) teneri conjurationem*

nem tuam non vides ? horum omnium conscientia h. e.
his omnibus consciis , omnium horum consensu
& voluntate.

Notat & designat oculis ad cædem
unumquemque nostrum] sic pro *L. Manil.*
c. 3. Mithridates uno nuntio atque una significatione
cives Romanos necandos , trucidandosque denotavit. No-
tare Censuræ erat , atque de hac censoria casti-
gatione frequenter Ciceroni usurpatum. Videtis
Orat. pro *A. Cluentio.* cap. 46. 47. Quod si
probe attendatur , mirifice auget Ciceronis sto-
machum : neque adeo opu'st interpolare illud *ani-*
mo , quod habetur in Edit. de an. 1474. & de
quo mihi persuasum est , a margine prius scriptum
glossema a Librario , qui singularem hunc verbi
usum ignoraret , vel minus attenderet , in tex-
tum fuisse receptum.

Quid vero aptius dici posset , quam quæ a TE
notantur ad verba : *Orbem terræ. &c.*

Cap. 2. Simili *SC. C. Mario & L. Vale-*
rio Cofs. est permiffa Resp.] Sallustius in
hanc rem : Itaque quod plerumque in atroci negotio
solet , Senatus decrevit , ut darent operam Cofs. ne
quid RP. detrimenti capiat ; ea potestas per Senatum mo-
re Romano Magistratui maxima PERMITTITUR ,
exercitum parare , bellum gerere , coercere omnibus mo-
dis socios atque cives : domi militiæque imperium atque
judicium summum habere : aliter sine populi jussu , nulli
earum rerum Consuli jus est.

Mors ac Reip. pœna remorata est.]
Mire se torquent interpretes , & varia commini-
scuntur ,

scuntur, nec in quo subsistant inveniunt. Ego quidem non erubescō fateri, mihi hic aquam hærere, atque hunc locum mihi de mendo suspectum esse. Subdubito, num satis latine dictum sit: *Mors hunc hominem remorata est*, Non ita Cicero ad Herennium. *Ne parva quidem dubitatio potest remorari damnationem.* Atque huic loquendi rationi convenit Lambini Emendatio; sed ea longissime abit a libris, ut optime notat Gruterus. Forte sic legendus integer locus: *Num unum diem postea in L. Saturninum TR. PL. & C. Servilium PR. Resp. pœnam remorata est.*

Decima TUA Observatio mire sese mihi probavit.

Cupio me non dissolutum videri.] *Dissolutus* dicitur, qui de severitate judicis nimium remittit & iadulget; qui Legum vincula relaxat ac dissolvit: Dissoluto opponitur *crudelis*. Cicero ad Brutum: *Neque dissolutum, a te quicquam homines expectant, nec crudele.* Idem orat Philipp. VI. cap. 3. *Nec vero de illo sicut de homine aliquo debemus, sed ut de importunissima bellua, cogitare. Quæ cum ita sint, non omnino dissolutum est, quod decrevit Senatus: habet atrocitatis aliquid legatio: utinam nihil haberet moræ!* Hæc quidem in vitio posita: in virtute; Severitas - - clementia. Cicero Orat. X. in C. Verrem: *Tantum intelligo maluisse Domitium crudelem in animadvertendo, quam in prætermittendo DISSOLUTUM videri.* Et mox: *Non utar ista accusatoria consuetudine, si quid est factum CLEMENTER, ut DISSOLUTE factum criminer: si quid vindicatum SEVERE est, ut ex eo CRUDELITATIS invidiam colligam: non agam ista ratione.* Oritur autem animi Dissolutio ab inertia, quam

quam *Horatius* pulchre *mollem* vocat, & quæ fuga laboris arguitur, ut *Cicero* loqui amat.

Interfectum te esse convenit.] Ita *Cicero*. Lib. 2. de N. D. *Multa ante fieri convenit*. *Brutus* ad *Cicer.* Lib. II. *Epist.* 3. *Neque enim decet aut convenit, nobis periculo ulli submittere animum nostrum.* Convenit autem h. l. ita interpretor: q. d. ex hoc *Senatus consulto* inter nos *Coss.* convenit, te interfectum esse confestim. *Petron.* Sat. c. 98. *Si perirem, conveniret inimicis.*

Cap. 3. Si illustrantur, si erumpunt omnia.] Optime *Muretus* alterum refert ad noctis tenebras, alterum ad privatæ domus parietes: Atque ita cum *Diomede* & *Carisio* legendum foret *illustrantur*. Statim subdit *Cicero*: *Luce sunt clariora nobis tua consilia omnia.* Et sub finem *Orat.* *Ut Catilinæ profectioe omnia patefacta, illustrata, &c. esse videatis.*

Tum cum multi principes Civitatis &c.] Expuncta illa particula *cum*, quæ ex bis scripta particula *tum* facile irrepsit, omnia erunt planissima. Et plane ex mente mea hæc redduntur ab Interprete TUO.

Nostra cæde contentum te esse dicebas.] *Esse pro fore.*

Cap. 5. Egregia plane sunt, quæ ad verba: *Quare quoniam id quod est primum &c. observas.*

Cap. 6. Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est?] *Cicero* pro *Rabir. perduell.* c. 9. *Homo omnis TURPITUDINIS*
Tom. IV. F f notis

notis insignis. Ducta Metaphora a Servis ἐσιγμένοις & inexpiabili litterarum nota per summam oris contumeliam designatis : qui inde πολυγράμμοι & *Litterati* dici solebant. Amat hanc loquendi formam Cicero : in *Orat. pro P. Sylla. Ne qua generi ac nomini suo nota nefariae turpitudinis inuratur.* In *Arat. Phænom. Hæc iniusta est a te mortuo Cæsari nota ad ignominiam sempiternam.* Atque hæc Lectio Cicerone digna & ipsi frequenter in usu.

Quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ.] Sagacissime expedis h. l. modo constaret recte dici : *Dedecus hæret infamiæ* : quemadmodum dicimus : *hæret ipsi infamia.* Sententiam h. l. nemo melius explicat ipso Cicerone : *Ad illa, inquit, venio, quæ non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem pertinent.*

Non mentem aliquam.] Ovid. *Fast.* l. VI. 241.

*Mens quoque numen habet : Menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pæne, tui.*

Livius l. VI. DI prohibeant hæc ! sed nunquam propter me de cælo descendent : Nobis mentem dent oportet, ut prohibeatis, sicuti mihi dederunt. Plancus ad Cicer. l. X. *Epist. 24. Quæ mens eum, aut quorum consilia a tanta gloria, sibi vero etiam necessaria ac salutari, avocarint, & ad cogitationem Consulatus bimestris summo cum terrore hominum & insulsa cum efflagitatione transtulerint, exputare non possum.*

Nihil agis, nihil assequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore.]

pore.] Optime, ut soles, defendis contra *Mu-*
retum illud *assequeris*. Barbarum autem est, &
 Cicerone indignum istud loquendi genus, quod
 sequitur: *Hoc mihi latere valet*: ecquis unquam
 ita locutus, qui modo aliquem latinæ linguæ sen-
 sum habet? *Valet* quidem pro *potest*, secus quam
Lambinus existimavit, & Ciceroni usitatum; Ita
 promiscue invenias: *VALERE* apud aliquem *gratia*,
auctoritate: Item: *Amicitia*, *beneficiis*, *dignitate*
apud aliquem plurimum POSSE. Quoties autem
posse ad casum refertur, atque idem denotat,
 quod *possibile est*, tum vero, verbum *valere* ejus
 loco absque vitio substitui nequit, siquidem ad
 vires tantum pertinet: neque vereor ut refellat
 exemplis. Est quidem locus apud Ciceronem *de*
Senect. cap. 10. qui a Grammaticis nonnullis &
 Lexicographis in contrarium adduci solet: *Itaque*
nemo adhuc convenire me valuit, quin fuerim occupa-
tus. Ibi autem legendum esse, *nemo adhuc con-*
venire me VOLUIT, CUI &c. recte monitum a
 Car. Langio & Grutero qui opportune Plauti lo-
 cum adfert: *Non sum occupatus unquam amico ope-*
ram dare. Manifeste id arguit, esse hæc verba
παρεμβεβλημένα, quæ & a plurimis optimæ notæ
 MSS. Libris abesse constat. Ita vero dices turba-
 ri orationis seriem, neque in Catilinam conveni-
 re, quod ait Cicero, *nihil moliris*: Verum ego
 & hæc verba expungenda ac resecanda censeo,
 ut vulnus coeat. Quis est, qui non intelligat,
 integrum hoc glossema ex superiore quodam haud
 absimili loco effictum, atque semel ab imperi-
 tiore scriba receptum, in alios mox manasse co-
 dices: Cicero h. Orat. cap. 3. *Nihil agis, nihil*
moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam,

Sed etiam videam, planeque sentiam. Et. cap. I. Patere tua consilia non sentis? - - quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? Forte ad oram Libri quidam Scholiastes hæc adleverat: nihil assequeris, qui id mirum? nihil enim moliris, quod mihi latere valeat in tempore. Neque etiam hic locum habere hunc centonem, manifestum est: nihil enim de consiliorum & moliminum Catilinæ cognitione & patefactione, quod argumentum copiose tractavit & exhausit supra: id vero dicit; cum omnia quæ agitet irrita esse intelligat, mirum videri, nolle adhuc desistere & mutare mentem. Nihil agis, hoc est, nihil proficis; nihil assequeris; pereunt furiosæ tuæ petitiones & frustrantur: quid ita? tibi enim & virtus & fortuna P. R. obsistit: aperte hæc Cicero: Quoties jam tibi extorta est ista sica de manibus? (extorta, scil. vi.) quoties vero excidit casu aliquo & elapsa est? (habes enim fortunam tibi inimicam) tamen ea carere non potes: quæ profecto mirifice commendant & illustrent nostram Lectionem: Nihil agis, nihil assequeris; neque tamen velle ac conari desistis. Hæc assecutus non est Interpres iste TUUS.

Cap. 8. Dubitas, si emori æquo animo non potes, abire &c.] Variant in h. l. antiqui Libri; præferunt nonnulli *morari*: Sed alteram illam veram esse lectionem, tam mihi certum est, quam quod maxime. Tota hujus loci sententia pendet a superioribus; ubi Catilivam manifeste arguit Cicero, quod cum sibi sceleris conscientia agitatus præsidium & latebras quærat, hoc ipso se custodia & suppliciis dignum judicet,

a quibus omnino non longe abesse videatur: *Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti? . . . Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipsum jam dignum custodia judicaverit? Et pertinent omnino hæc ad locum illum: Quid est enim, Catilina, quod te jam in hac urbe delectare possit? Addit continuo: Quæ cum ita sint, hoc est, cum vel te ipso iudice, non alia tibi promittere possis, quam vincula & gravissima supplicia, a quibus profecto non longe abes: atque si emori æquo animo non potes, h. e. si minus a te impetrare possis, ut ignominiosam & tanto scelere dignam mortem & justissimam Reip. pœnam subeas, quid dubitas, abire in aliquas terras & fuga salutem quærere. Stabiliunt hanc sententiam, atque ita legi debere postulant, & quæ sequuntur: *Vitam istam multis suppliciis justis debitisque ereptam fugæ solitudinique mandare? Necessè est enim aut mortem imminentem & huic furori debitam patienter ferre, aut vitam debitis suppliciis eripere: cum vero istud nolis, hoc tibi erit sequendum: Eleganter hæc sibi opponuntur æquo animo mori, & vitam justis suppliciis eripere: & nisi ita legas, profus hæc erunt sine venere. Est præterea usitatum Ciceroni istud loquendi genus. de Senect. cap. 23. Quid quod sapientissimus quisque ÆQUO ANIMO MORITUR, stultissimus iniquissimo. Seneca Epist. 30. Magna res est hæc, Lucili, & diu discenda, cum adventat hora illa inevitabilis, ÆQUO ANIMO ABIRE.**

Cap. 9. Utinam tibi istam mentem Diï immortales duint.] Te profus digna sunt, quæ in medium proferuntur a TE.

Sed est tanti, dummodo. &c.] Miror ego TEcum Viros Eruditos tantis animorum studiis ejusmodi tricus inhærere. Quid interest sive legas : *Est tanti*. Sive : *Est mihi tanti*. Sive etiam : *Non est mihi tanti*. Eadem erit sententia ; quam Oratione II. cap. 7. plenissime explicat. *Est tanti* : nimirum , est tanti pretii æstimandum , vel iniqua posteritatis invidia Catilinæ discessum redimere : Et ego omnino non vereor subire hanc invidiam , dummodo privata sit calamitas. *Non est mihi tanti* , tanti non facio invidiam hanc subire privatam , dummodo saluti Reip. consulam. Coniungenda illa formula , *est tanti* , cum *subire invidiam* : ut patet ex cap. 7. Orat. 2. in Catilinam.

Dummodo ista tua privata sit calamitas.) Mire nugas agit *Muretus*. Et commentatione tua nihil omnino verius ! nihil sagacius ! Non intelligo , qui Consuli in posteritatem impendens invidia Reip. perniciofa dici possit : Neque in Ciceronem convenit , dicere invidiam virtute partam calamitatem esse. Quam longe absit ab hac mente declarat cap. 12. *Quod si invidia mihi maxime impenderet , tamen hoc animo semper fui , ut invidiam virtute partam GLORIAM , non invidiam putarem.*

Cap. 10. Quanquam quid ego te invitum.) Optime tueris adversus *Muretum* vulgatam lectionem : Immo etiam iis , quæ ad verba : *Evocatorem fervorum* : annotasti , nihil verius.

Cap. 11. Leges , quæ de civium reorum supplicio rogatæ sunt.) Cavillatur
h. e.

h. l. *Gravias* & ludit in re seria. Leges de suppliciiis non nisi in reos feruntur ; ad innocentes non pertinent. Inepte igitur hic legitur *civium reorum*, & illud *reorum* omnino abundat.

Cap. 12. *Crudeliter & regie.*) Vera omnino hæc lectio & elegans : In proverbium abiit apud Romanos crudelitas & superbia Regum : & *regie factum* idem valet , quod , crudeliter factum. Nomen enim regium in Rep. magnam invidiam habebat , quam Cicero Cos. a se amovere laborat. Ita in *Orat. in Verrem. Quæ REGIE* seu potius tyrannice statuit in *Aratores Apronius. Orat. 2. in Catil.* hanc sententiam explicat : *Si belli iter ad fugam atque in exilium converterit : . . erunt , qui illum non improbum , sed miserum : me non diligentissimum Consulem , sed crudelissimum tyrannum existimari velint.* Ita *Tacitus Annal. Lib. XVI. c. 23.* *Tempus damnationi delectum , quo Tiridates accipiendo Armenia regno adventabat : ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur , an ut magnitudinem imperatoriam cæde insignium virorum , quasi REGIO FACINORE ostentaret.* Item *Lib. VI. cap. 1. de Tiberio : Quibus adeo indomitis exarserat , ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret.* Quis vero unquam ita locutus est , & quæ teretes aures hæc ferrent : *crudeliter & non egregie factum.*

Longius quidem excurrere , *AMPLISS. PRÆSES !* & ad reliquas in *Catilinam* *Orationes* transire animus erat ; sed cum *Epistolæ* cancellos jam fuerim prætergressus , ne insulis meis *Litteris* tempora *TUA* diutius morari , & *patientia* *Tua* abuti videar , confestim ego , quod ajunt , manum de tabula : *Magnam* autem a me in *ibis* gratiam , *VIR AMPLISS.* si hæc eo animo legas ,

quò a me scripta fuere ; nimirum non quasi TE docere vellem : quid enim Sus Minervam ? Sed ut eruditissimam limam tuam impetrarem : Ego enim quæcunque litteris , quæcunque studiis , nostris delectationibus , consequi potero , ea omnia ad arbitrium TUUM referre soleo. TU modo VIR ILLUSTRIS ! τὴν ἐμὴν παρρησίαν εὐμενῶς δέχε , & me constanter ama , quod ego in præcipuis bonis meis numerare soleo. Vale Amplissime Præses ! meum Decus & Præsidium.

Tiguri Helvætorum IX. Kal. April.

CICCCCXXVIII.

* * *

Monseigneur !

COMME j'allois cacheter ma Lettre , je reçois par un surcroit de bonheur Vòtre agreable de 14. de Mars : Permettes que j'y reponde par cet Apostille. Les Esperances , que Vous avez conçu pour le prix de mon Edition des LXX. sont les effets de Vòtre Amitié : pour ne pas les tromper , je redoublerai mes efforts. Aussi suivrai je Vòtre Avis de donner à ma Bible une plus grande forme , qui sera celle in Median 4to. nos savans de l'Allemagne étant sur ce point du même goût que les Vòtres. Et comme on a raison de se défier des impressions de la Suisse par rapport à la beauté du papier & des caractères : je publierai dans peu des semaines un echantillon de mon Ouvrage , qui donnera sur ces deux point & sur d'autres tous les eclaircissements necessaires : je ne laisserai pas de Vous en envoyer quelques Exemplaires ; Vous priant de les divulguer parmi Vos Illustres Amis , & de continuer dans les favorables dispositions où Vous êtes à l'égard de

Vòtre très-humble & très-obéissant Serviteur

J. J. Breitinguer.